

tur *millenariorum* somnia , de regno terreno , ubi pii cum Christo , oppressis impiis , sint regnaturi . Part . IV . p . 421 . refutat doctrinam de *fato immutabili* . Nec plane spernenda sunt , quæ P . V . p . 131 . contra *Beckerum* affert , in primis autem laudandum in eo est , quod *mores Christianorum* emendare pro fine habeat autor , & quædam haud incongrua eam ad rem media afferat . Quando autem , quod quidem fere omnibus paginis fit , emendationem vitæ urgere sibi sumit , eam stabilire plerumque conatur ejusmodi dogmatibus , quorum pleraque religionis vere Christianæ fundamenta everttere , & incautos letores ad separatismum ducere deprehendi .

§ . IV . Autor harum epistolarum nomen suum non profitetur , illi autem , qui ipsum oculis suis viderunt , referunt , eum vocari Gichtelium , qui omnes & singulas epistolas diversis temporibus scripsit ad amicos suos , qui etsi non omnes , tamen ex parte Quakerorum doctrinæ vel fautores vel asseclæ fuerint . Duæ partes priores sub initium hujus seculi prima vice lucem viderunt , conf . Part . IV . p . 439 . & 441 . Accesserunt post mortem autoris tres posteriores partes anno decimo . De autoris vita ex epistolis ipsius tantum quædam novimus , quorum fides sit penes autorem . Part . II . p . 203 . indicat , se natum esse anno seculi superioris post trigesimum octavo , & patriam habuisse celebrem imperii urbem Ratisbonam P . IV . p . 330 . Academicæ vitæ curriculum ingressus primam operam , ut ipse scribit , descendis *linguis orientalibus* , alteram ab initio S . *Theologiæ* studiis destinavit ;